



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1849

VI. Otto, Pfarrer in Brietzen genehmigt Namens der Pfarrkirche die Abtretung des Dorfes Sernow an die Stadt, am 23. Nov. 1301.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

IV. Die Markgrafen Otto und Conrad vereignen der Stadt Briegzen das Dorf Sernow,
am 16. März 1301.

Nos Otto et Conradus, Dei gratia Brandenburgenses et de Landsberg Marchiones, recognoscimus et tenore presentium protestamur, quod dilectis nostris Civibus Civitatis Britzene de maturo consilio nostrorum Consiliariorum appropriavimus villam Sernow cum omnibus attinentijs suis, videlicet agris, lignis, pascuis et pratis ac alijs ad eandem spectantibus perpetuis temporibus possidendam, ita ut jam dicti Cives edificia in jam dicta villa nunc edificata destruant et ipsam villam cum predictis attinentijs suis jure civitatis perpetuo possideant, quemadmodum ipsius verissimi possessores. In cujus rei seu facti evidentiam firmiorem presentes literas nostrorum sigillorum appensionibus duximus roborandas adhibitis testibus idoneis, scilicet nostris fidelibus Heinrico de Daemis viro nobili Ottone de Ronis, Henningho de Mentitz dicto et Alberto de Bertecow militibus nec non alijs quam plurimis fide dignis. Actum et datum in Civitate Prentzlow, Anno Domini MCCC°. primo, in quarta feria ante Dominicam qua cantatur: Judica me Domine Deus.

V. Die Markgrafen Otto und Conrad überlassen der Stadt Briegzen die Abgaben von mehreren
Häusern der Stadt, am 2. August 1301.

Nos Otto et Conradus, Dei gratia Brandenburgenses et Landsberg. Marchiones, Recognoscimus tenore presentium publice protestantes, quod fidelibus et dilectis civibus nostris in Briezen omnes domos circa cimiterium s*an*cti Nicolai edificatas et circa theatrum, casas inceptorum constructas vel construendas dedimus cum censu edificiorum pretactorum possidendas perpetuo proprietatis titulo et quiete omni juri libere, renunciantes quod habere poterimus in iisdem. In cujus rei evidentiam hanc litteram desuper confectam eisdem civibus dari iussimus, nostri sigilli robore communitam. Datum Brandenburg per manus Hartmanni scriptoris et nostre Curie Capellani. Presentibus Ottone de Ronis, Conrado de Wegenleve et alijs pluribus Clericis et laicis fide dignis. Sub anno Dni. M. CCCI in die sanctorum Thimothei et Symphoriani.

VI. Otto, Pfarrer in Briegzen genehmigt Namens der Pfarrkirche die Abtretung des Dorfes
Sernow an die Stadt, am 23. Nov. 1301.

Otto, Dei gratia Cantor ecclesie Magdeburgensis et Plebanus in Brizena, omnibus ad quos presens scriptum pervenerit orationes in Christo devotas. Vniversa negotia que geruntur in tempore ne sequantur naturam temporis, eternari debent munimine litterarum. Cognoscat itaque presens etas et sciat postera, quod discreti viri consules et universitas civium in Brizena villam dictam Sarnowe nostre ecclesie in Brizena adherentem ad predictam civitatem Brizene transmutarunt salvo omni jure nostro ac successoris nostri, ita tamen ut nobis jure ecclesie jam dicte Brizene ac successori nostro de omnibus, que quondam Burgenses nobiscum placitaverunt, integraliter satisfiat, super quo assensum

nostre bone voluntatis addimus omnibus de premisis. In cujus rei evidens testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus consignari. Actum et Datum Anno Domini M. CCC. I. in die Clementis Episcopi et Martyris.

VII. Otto, Pfarrer zu Brietzen, stiftet hier eine Frühmesse, am 23. Nov. 1301.

Otto, Dei gratia Cantor Ecclesie Magdeburgensis et Plebanus in Brizena, Omnibus presentes litteras inspecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ne temporales actus interire possint cum ruina temporis, stabiliri debent apicibus sigillatis. Ea propter scire volumus tam presentes quam futuros, quod in remedium omnium animarum et nostre memorie ibidem habende nec non ad petitiones discretorum virorum Consulium ac Universitatis civium in Bricena missam aurore sive diluculi, que vulgariter dicitur Vrumesse, procuravimus et procurari intendimus cum consensu honorabilis viri Wolradi brandenburgensis Episcopi, nec non illustris principis domini Ottonis Marchionis cum telo testando et firmiter promittendo, quam etiam missam aurore ad Parochiam Sancte marie in Brizena dominus Conradus noster Capellanus, ibidem a nobis perpetuatus ac in posterum temporibus vite sue per dominum Wolradum venerabilem Episcopum supra dictum perpetuandus, promittimus ac testamur, de suo more immutabilis procurabit, quod firmum ac stabile tenebimus, si predicti Burgenfes ea que nobiscum placitaverunt rata ac inviolabilia observabunt. In cujus rei inviolabile testimonium presentes littere nostri sigilli munimine sunt firmiter consignate. Actum et datum anno domini millesimo tricentesimo primo, in die beati Clementis Episcopi et Martiris.

VIII. Vergleich zwischen der Stadt Brietzen und dem Kloster Zinna wegen des durch die Stadt hindurchführenden Canales und der Fließräumung, vom 25. Juli 1302.

Univerfis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis frater Petrus dictus Abbas sancte Marie in Zynna, cum orationibus devotis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Robur suum omittit actio temporalis, nisi litterarum aut vive vocis fuerit testimonio perhennata. Quare presentium tenore publice protestamur, quod comparatis nobis omnibus fossatis sive fossis civitatis Bricene a valva que vocatur Schönenvlit usque ad molendinum quod dicitur Stetterbrügge et ultra usque ad veterem rivum rite et rationabiliter cum unanimi consensu burgenfium omnium et assensu, promissimus eis canale, per quod fordes eiciuntur extra civitatem nos sub nostra cura et procuracione debere perpetuo conservare, ut ex hac inter nos et ipsos amor mutuus et fauor illibatus in perpetuum perseveret. Preterea quotiescunque rivum ejusdem molendini a proxima fossa superius et inferius usque ad rivum veterem antedictum purgari expedierit, ita caute purgandus est, ut per talem purgationem in eiciendo fordes vel arenam vicinos seu adjacentes agros burgenfium non ledamus. In cujus rei evidens testimonium sigillum nostrum huic pagine duximus appendendum, datum in Cynna, anno domini M. CCC. II^o. octavo Kal. augusti in die Sti. Jacobi Apostoli.